



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 31. Ludovicus XI. apoplexia tactus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.  
A. C. 1480.

pertinaci semper consilio Cardinalem excipere recusavit; quippe ejus fidem adeo suspectam habebat, ut quamvis ad quemdam ex suis Consiliariis hanc in rem mandata dedisset, nihilominus Legato constanter privati etiam colloquii copiam denegaret.

## §. XXXI.

*Ludovicus XI. apoplexia tactus.*

Comm. loc.  
sit. p. 139.

Ad. l. 6. t. 7.

Chinon

Forges

Verum cuncta hæc pacis consilia disjecit periculosa Regis ægritudo: Ipse quoque Anglorum Rex sententiam mutasse videbatur; hic enim, licet antea revocandæ concordiæ studiosissimum præsetulisset animum, jam ipse Archiducis auctor erat, ut biennales inducias peteret, atque interim expectaret Galliarum Regis mortem, quæ certo eventura credebatur: cum enim hic in quodam oppido haud procul ab urbe Cainone in Turonia pranderet, repente apoplexia, ac subito omnium sensuum atque nervorum stupore corripitur, eique hebetata oculorum acies, mentisque deliquium quemquam ex adstantibus cognoscendi facultatem eripuit. Nihilominus a suis ad lectum delatus, adhibitis remediis spiritum revocabat, ac Forgesium, unde illo mane discesserat, pernoctaturus revertebatur; tertia etiam post die linguae usum

usum recuperavit, quamvis quæ proferret, adeo hiulcis ac morientibus pene vocibus exprimeret, ut nonnisi ab illis, qui assidue in ejus servitio erant, intelligi potuerit.

Secul. XV.  
A.C. 1480.

## §. XXXII.

*Morosum atque affectatum Regis genium.*

Rex, cum subita hac animi defectione opprimeretur, collectis viribus corpus suum cuidam adolvebat fenestræ, quam ipsius familiares quantocius clauderant; verebantur enim, ne se præcipitem daret, ac propterea irretorto oculo eum observabant: dum vero paululum sensuum usui restitutus esset, quis eum a fenestra removisset, interrogat? vixque horum nomina edoctus, protinus omnes aula excedere, & plurimos officio abire jubet; quippe præ verecundia haud amplius eorum vultum sustinebat, eoquod imbecillitatis ejus testes essent. Haud absimili integræ valetudinis simulatione stimulatus, ut adhucdum gravibus Regni negotiis par esse ab aliis crederetur, decima seu duodecima, qua apoplexia tactus est, die Senatuum suum convokebat, ut ab ipso, quæ hucusque decreta fuissent, edoceret, sexque suos tum Ministerio fungentes ad se venire jubebat.

Comm. 1.6.  
6.7.